

Appendix. — Europa Nro. 72.

Regnum Mortuorum.

Sermo politicus inter mortuos.

Elysium — Meum — Die 23. Augusti 1808.

— — Anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso
est!

Sed nos atra caput tristi circumvolat umbrâ.
Aeneid. l. 6. v. 865.

Manes colloquentes:

Ibrahim, Turcarum Imperator. — Joannes IV. Lusitaniae Rex.

Joannes. — Abruptum nuper sermonem continuabo.
Quo tu sensu, mi Ibrahim, Republicam divitem reputas?

Ibrahim. — Illa Respublica dives est, quae multis abundat pecuniis. Huc pertinent milliones marsupiorum in Gynaeeo Turcico. — —

Joannes. — Nequaquam mi Ibrahim! limitatam nimis habes Republicam ideam. Dic mihi, obsecro, an Americani ante adventum Hispanorum, non plus auri, et argenti possederint, quam universa Europa? Quid autem eis profuit? nihil certe eorum, quae auro, et argento, tanquam mediis producuntur, possidebant, hocque sub respectu, hominum miserimi fuerant.

Ibrahim. — Scio, quo tendas; reponis nempe divitias Republicae in amplitudine territorii, lataque provinciarum possessione.

Joannes. — Haud ita. Tartari Thibetani immensam illam, pulcherrimam, optimamque partem terrae possident, quae Russiam inter, et Sinas media est. Sed anne ideo divites sunt? an iis non illa omnia desunt, quae caeterae cultiores gentes, etsi in deteriore solo, tam in ordine ad victus rationem, quam commodiorem vivendi modum producant?

Ibrahim. — Hoc equidem verum est.

Joannes. — Divitiae Republicae comparari possunt talento, seu ingenio, quod nisi excolatur, obscurum haeret, nihilque producit. Americani olim, et Tartari Thibe-

tani, sine omni erant industria. Deficiente cultura ingenii, regio, quae alias magnas produxisset divitias, inanis haesit, pedibusque duntaxat calcabatur. Divitiae igitur Reipublicae in solo, et in labore consistunt. Illa gens ditissima est, quae solum rite excolere novit, interque omnia dona hominibus a Deo elargita, necessitas laborandi primo loco censenda est.

Ibrahim. — Pulchre haec quidem adstruis; sed si ego in Turcia, spatio 10 annorum ad promovendam agriculturam non nisi 10,000 hominum intertenuissem, profecto thesaurus ille marsupiorum male mulctatus fuisset.

Joannes. — Quid, quaeso, ais? Non intertenebas spatio 10 annorum 200,000 militum? anne ideo thesaurus marsupiorum male mulctatus est? Miram sane rem! 200,000 hominum, quae alia hominum 200,000 delerent, solvere poterat, at 10,000 hominum, qui agros cultivarent, intertere non poterat! — Quanti putas Aegyptiis constitit, ut pyramides, Sinensibus vero, ut celebrem murum suum aedificarent? nihil praeter cepam, et oryzam.

Ibrahim. — Adsequor haec omnia; sunt etiam rationi conformia, sed consuetudo praedominatur.

Joannes. — Si ita, solis vesci deberemus glandibus. Sed adsunt manus, inveniuntur lapides, ferrum, ligna, campi, agri, et terra; manus adplicare oportet; omnesque superabuntur difficultates. Producta divitias Reipublicae constituunt; pecuniae non aliud sunt, quam medium producta haec repraesentandi, usumque eorum facilius promovendi.

Ibrahim. — Oporteret ergo novas civitates, pagos, et aulas aedificare.

Joannes. — Quidni? oporteret nempe parvos pagos, ad summum 30 domos continentes, et post singulum trigesium pagum, unam civitatem extruere, quae nimium non incresceret. Magni quippe pagi, et aulae agros dissitos rite colere impediunt, pro amplis civitatibus autem longinqui requiruntur commeatus, solent praeterea otiosis esse asylo. Ita adlaborandum est, ut omnia in Republica producantur, utque omni possibili modo productis exoticis carere possimus. Labor indefessus, mi Ibrahim! summa est omnium artium, totiusque industriae mysterium, lapisque ille Philosophorum, qui divitias Reipublicae constituit.

Biographia.

Ibrahim. Turcarum Imperator, die 8. Februarii 1640 e carceribus ad solium, loco fratris Amurathis IV. collocatus est. Cum anno 1644 Eques de Boisbaudran navim

Turcicum
stebant
Venetos
Candiam
crudenta
sui 1649.

Joan
erat 19.
die 15. D
pienter,
non potu
26 Maii
ria die 6
gratus P
fuit, sae
mis dece
que cibo

De
tum scri
tra Norv
lominus
Die 5. Ju
tentarun
relationi
memorat
libitu cop
sed nemp
vincia s
aut nihil
die Rem
construc
has num
mentor
subsidi
tam cito
Russiam
cum in h
mine pro
res quod
den, pro
dreae sec
ales, qu
tertiam s
(t. flor.

Turcicum abduceret, in qua Sultana, et filius Ibrabimi existebant. Mentam armis petere voluit, interea iram contra Venetos exeruit, et Caneam occupavit, cumque similiter Candiam occupare intenderet, à Capitaneis, et servis, ob crudelitatem, et luxuriam, vita privatus est die 18. Augusti 1649.

Joannes IV. Rex Lusitaniae, cognomine Felix, natus erat 19. Martii 1604. Hunc Lusitani, abjecto jugo Hispanico die 15. Decembris 1640 Regem proclamarunt. Regnavit is sapienter, licetque multos haberet inimicos, e solio deturbari non potuit. De Hispanis celebrem victoriam ad Badajoz die 26. Maii 1644 reportavit. Mortuus est Olyssipone ex Stranguria die 6. Novembris 1656. Erat valde affabilis, omnibusque gratus Princeps, in victu, et amictu autem nimis frugalis fuit, saepeque dicere solebat: „affabilitatem Regem cumprimis decere, vestem autem quamlibet corpus tegere, omnemque cibum nutrire.”

Diarium Politicum.

De eventibus belli in Septentrione non est, quod multum scribatur. Rex Sveciae non agit amplius offensive contra Norvegiam, sed solum defensive; contra Finniam nihilominus offensive agere nititur, etsi Russos praevalere videat. Die 5. Julii Sveci ad Christianstadt 9 navigiis excensionem tentarunt: parum quidem profecerunt, sed tamen, tenore relationis Russicae officiosae pertinaciter pugnarunt. Certe memoratu res digna est, quod Sveci cum Russis, qui prohibitu copias suas augere possunt, in Finnia confugere velint; sed nempe apparet hinc, quantum eis in recuperanda hac provincia situm sit. — Angli hucusque contra Russos parum, aut nihil hostilis moliti sunt; interea adaugent Russi quotidie Rem suam meritimam. In fluvio Neva 14. consistunt neo constructae naves, magna ex parte cupro obductae. Inter has numerantur 2 classicae naves, una 128, altera 84 tormentorum, una praeterea 50 tormentorum, compluresque subsidiariae. Certum est, non facile Potentiam quampiam tam cito, tamque parvis impensis naves aedificare posse, ac Russiam, omnia enim requisita in promptu habet, quae cum in his circumstantiis Anglis vendi non possint, a Regimine pro construendis navibus coëmuntur, sicque possessores quodammodo indemnificantur. — Generali Comiti Buxhövden, propter occupatum praesidium Sveaborg, ordo S. Andreae secundae classis collatus habetur, singuli vero Officiales, qui pugnae huic interfuerant exclusive Generalibus, tertiam salarii partem, tum quivis gregariorum Rubellam (1. flor. 45. cruc.) obtinuerunt. — Professor Schlözer, cum

collega suo D. Friderico de Villers (fratre auctoris Dissertationis de Reformatione) Moscovae Institutum pro educandis Nobilibus erexit. — Ex Dania nullae innotuerunt relationes, ipsaeque Ephemerides Hamburgenses nullum continent articulum Hafniae; interea observantur in exercitu motus. Marchailus Victor 18. Augusti Berolino Cassellas discessit, agmen vero ejus die 16. Bambergam versus processit. Dux de Auerstedt (Davoust) Berolinum advenisse dicitur.

Londino die 22. Julii. — Navigium Americanum Tygris, Philadelphia in Plymouth appulit; reliquos inter peregrinantes, Marchio d'Youjo, legatus Hispanicus apud Status Americae septentrionalis, constituebatur. Negotia Angliae politica in America sunt in statu quo, interea innotuit Regimini Anglicano, emigrare incolas Hiberniae ad Americam, quod praesertim ab eo tempore, cum in novissimis disceptationibus Parliamenti nihil in favorem Hiberniae decisum erat, infalescit.

Stralsundia die 9. Augusti. — Ex mandato Regni Marchalli Soult, nulla navis seu mercantilis, seu piscatoria, sine expressa dicti Marchalli licentia mari se committere audet, abrogata quavis hucusque licentia. Qui mandato huic contravererint, communicationisque cum hoste convicti fuerint, tanquam exploratores supplicio afficientur.

Mediolano die 11. Augusti. — Codex mercantilis Gallicus, in Italicum translatus, a 1. Septembris anni currentis ex mandato Proregis vim legis obtinet. Neapoli Deputatio ad salutandum novum Regem mittitur, quae e sequentibus membris constat: Pro parte ecclesiastica e D. della Torre; pro parte Status Consilii, e Duce de S. Arpino, et D. Melchione Delfico; pro parte Nobilitatis, e Duce de Terranova, Principe della Torella, Comite della Rocca Marigliano, Principe de Colobrano, et Principe de Belvedere; pro parte Magistraturae, e Marchione Dragonetti, et Consiliario Granito; denique pro parte Mercatorum, e Marchione Sinno, et D. Josepho Buono.

Ab aliquot diebus *Romae* plebs credula rumore propagare caepit, quotidie stato tempore nocte concubia spectrum adparere, quod a castro S. Angeli usque portam S. Laurentii deambulet, sclopique ictui resisteret. Spectrum hoc miles gallicus vigilias agens, trajecit, apparuitque, nihil aliud fuisse, quam magnum canem, qui noctu in plateis circumcursabat. — In Fabrica *Severiensis* pretiosus vasorum porcellanorum adparatus cum pictura Aegyptiaca efformatus habetur, quem Imperator Napoleon, *Russiae* Imperatori dono missurus est.